



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Quæritur an licuerit Oecumenicæ Synodo de aliquo fidei vel disciplinæ capite decernere sine relatione Pontificis. Ita usurpatum à synodo Chalcedonensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

delegatione Principis Synodi Chalcedonen-
sis auctoritatem affecutus fuisset, quemad-
modum supra monui. Etenim eodem eximio
jure in synodo Ephesina Celestinum usum
fuisse ipsius Oecumenicæ synodi testimonio
probare possumus. Nestorij hæresim Roma
in synodo damnauerat Celestinus, ipsumque
Nestorium, nisi perfidam novitatem aper-
ta & scripta confessione intra decem dies de-
poneret, ab universalis Ecclesiæ commu-
nionem deiecerat: cujus sententiæ execu-
tionem delegavit Cyrillo Alexandrino. Hic ex
sententiâ Celestini, atque sua, totiûsque
synodi Ægyptiacæ, synodicam epistolam ad
Nestorium dedit; qua eum hortatus est ut à
stolidis dogmatibus, quæ publicè docebat,
desisteret, quod nisi intra tempus in literis
Celestini præfinitum præstaret, certò sciret
se à communionem totius Ecclesiæ excidisse.
Cogitur Ephesina synodus: ubi recitatis Ce-
lestini & Cyrilli epistolis ad Nestorium, at-
que prolatis è patrum antiquorum operibus
excerptis aliquot sententiis, Nestorij impie-
tas convicta, & Celestini atque Cyrilli sine-
ra fides omnium consensu approbata est.
Quare sententiâ depositionis in Nestorium
terevocatum & contumacem fertur à syno-
do; ita tamen ut ejus condemnandi auctori-
tas in Celestinum quoque referatur. Etenim
apertè profitentur patres synodi se & à sacris
canonibus & à Celestini epistola coactos ad
eam sententiam ferendam. Quasi dicerent
Celestinum epistola sua synodo auctorem
fuisse damnandi Nestorij.

II. Magni autem momenti sunt illa ver-
ba, quibus se coactos dicunt, id est, ex offi-
cio adstrictos, ut canonibus qui contuma-
ciam plectebant, & rebus à Celestino adver-
sus impietatem decretis, morem gererent.
Ea est enim auctoritas epistolæ Pontificis, ut
parendi necessitas incumbat, postquam, dis-
cussione facta, sacris Scripturis & traditioni
majorum congruere invenitur. quo examine
defuncta erat synodus Ephesina antequam
judicium ferret adversus Nestorium. Hæc
sunt Concilij verba: *Coacti per sacros canones
& epistolam sanctissimi patris nostri & commi-
nistri Celestini Romane Ecclesiæ Episcopi, lacry-
mis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra
eam sententiam necessario venimus.*

III. Ne quis autem existimet alienam à
verbis synodi sententiam nunc primum à me
confictam fuisse, perpendenda sunt quæ dixit
Firmus Cæsareæ Episcopus post adven-
tum Legatorum Arcadij, Projecti, & Phi-
lippij, qui, post damnatum Nestorium, Ephe-
sum accesserunt. Ait Firmus, primam sen-
tentiam tulisse Celestinum, eamque huic ne-
gotio formam per priores literas suas ad Cy-

rillum præscripsisse quam synodus executio-
ni dederit. Quare eum secundis quoque li-
teris ad synodum Ephesinam datis, atque
per Legatos delatis, eandem sententiam de
fide confirmasset, post confirmationem lite-
rarum *Omnes reverendissimi Episcopi simula-
clamaverunt: Hoc justum judicium. Novo Paulo
Celestino, novo Paulo Cyrillo. Celestino custodi
fidei. Celestino cum synodo concordi. Celestino
universa synodus gratias agit. Vnus Celestinus.
Vnus Cyrillus. Vna fides synodi. Vna fides orbis
terrarum.* His acclamationibus, ut fieri sole-
bat à Senatu erga Principem, synodus Ephe-
sina Celestinum ejusque Legatum Cyrillum
suo quoque nomine valde commendabilem
prosecuta est. Legati autem relectis gestis
contra Nestorium subscripserunt. Quæ sub-
scriptio à Cyrillo *canonica assensio* dicitur,
ἡ ἐκκλησιαστικὴ συναίνεσις; & à Legatis *ἡ ἐκκλησιαστικὴ
κατανομήσις*, confirmatio rerum judicatarum.

IV. Vnus tantum restat articulus, in quo
utriusque relationis imperatoris & pontifi-
ciæ comparatio ineunda est, ut sciatur an
illis per omnia conveniat. Inter ceteros re-
lationis effectus observavimus Senatuscon-
sulta sine Consulibus vel Principis relatione
fieri non potuisse. Quæri ergo potest non ab-
surdè an licuerit Oecumenicæ synodo de ali-
quo fidei vel disciplinæ capite sine relatione
Pontificis decernere. De synodo Oecume-
nica loquor, in qua Pontifex per se vel per
Legatos præsidet, non autem de Conciliis
provincialibus, aut Diocesanis, quibus nulla
interest sedis apostolicæ legatio. Ac sanè an-
tiquam esse Legatorum persuasionem video,
ut existimaverint Pontificem rerum omnium
gerendarum in Conciliis illis auctorem esse
debere; ita ut etsi fortè non retulerit, saltem
primam sententiam promat. Hanc disertis
verbis expresserunt patres synodi Chalcedo-
nensis in epistola synodica ad Leonem: ad
quem scribunt, Paschasinum Legatum ejus-
que socios vehementer obstiterisse novæ jurif-
dictioni quæ à synodo tribuebatur sedi Con-
stantinopolitanae, ex eo capite præcipuè,
quod Leonem vellent ejus rei auctorem fie-
ri, quemadmodum auctor fuerat rectæ fidei
facienda. Volebant scilicet ea de re prius à
Leone decerni, cujus auctoritati ceteri dein-
de Episcopi consentirent & subscriberent.

*Qui enim, inquit, locum vestre sanctitatis
obtinere sanctissimi Episcopi Paschasinus & Lu-
centius, & qui cum eis est reverendissimus Presby-
ter Bonifacius, his ita constitutis vehementer re-
sistere tentaverunt, proculdubio à vestra provi-
dentia inchoari & hoc bonum volentes, ut sicut
fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputeretur effe-
ctus.* Hanc Legatorum opinionem non om-
nino refutare videtur Concilium; ita tamen

Concil. Ephes.
A. 4. 27

AA. 11

Epistola synodica
Conc. l. Chalced.
den. ad Leonem.

ut in casu proposito ei locus esse non posset ob temporis circumstantias. Respondent enim, Imperatoris, Senatus, & civium urbis regis desideriis obsequendum fuisse, qui novam istam auctoritatem decreto synodi Oecumenicæ confirmari volebant. quod fieri non poterat, si ante omnia Pontificis sententia exquirenda fuisset. Itaque in his angustiis se negotium constituisse, non dubitantes quin Leo hoc quoque decretum amplecteretur. quod perinde esset ac si ab initio ipse illius auctor fuisset, eò quòd rectorum facinorum à filiis gestorum omnis gloria redunderet in patres, qui jure patriæ potestatis hoc sibi vindicant. Quare obnixè rogant Pontificem ut suo quoque decreto synodi iudicium honoret, ut sicut in rebus fidei rectè constitutus Pontifici tanquam capiti consensum suum adhibuerunt, ita quoque primatus sui jure ipse quod decet filiis impendat, nempe confirmationem & consensum, *καὶ πεπερασμένως βεβαιώσιν τε καὶ συγκαταστήσιν.*

CAPVT XII.

Synopsis.

I. Investigatur quam esset veterum sententia de hoc jure relationis cum prerogativa suffragij ante Concilium Ephesinum. Ejus exemplum illustre in Sardicensi Concilio: in quo summa auctoritas fuit Osi, Romani Pontificis Legati. Socrates & Sozomenus explicati, qui aiunt non licere quicquam decernere de rebus ecclesiasticis absque sententia Episcopi Romani. Hanc hac interpretatio è verbis Iulij.

II. Prerogativa illa suffragij non adimebat ceteris libertatem suffragiorum. Probat ex Julio; cujus verba explicantur.

III. Quid sit canon ecclesiasticus apud Socratem. Is est canon Nicænus sextus, quo primatus defertur Episcopo Romano præ ceteris Patriarchis, quod probatur multis auctoritatibus.

IV. Ordo dignitatis Patriarcharum constitutus in Concilio Nicæno. Canone vij. quartus honoris gradus tribuitur Episcopo Hierosolymorum, id est, primus post tres Patriarchas. Varia hujus canonis versiones. Canone vij. definiti loci trium Patriarcharum. Probat ex verbis canonis; tum auctoritate Papa Leonis ad Anastasium scribentis.

V. Cum primum dignitatis locum obtineret Episcopus Romanus, consequens est ut jus prima sententia & suffragij prerogativam obtineret. Ea fuit mens Socratis & Sozomeni. Eam prerogativam agnovit Concilium Romanum sub Damaso.

VI. *Ἐπιτομή* dictio, qua usi sunt Socrates & Sozomenus, auctoritatem cum suffragio conjunctam significat in antiquis canonibus. Probat ex canone vij. Concilij Nicæni, ubi *ἡ δὲ* sumitur pro Metropolitanis suffragio & auctoritate. Prima autem sententia erat penes Metropolitanos.

VII. Ab illis quoque pendebat rerum gestarum confirmatio; sive *τὸ ἀποφασίζεσθαι* tamen ut omnia communi

decreto & ex sententia plurimorum agenda essent, ex canonibus Nicænis. Id quoque statutum in canone apostolico *xx x i i i*. ubi *ἡ δὲ* sumitur pro sententia Metropolitanis, atque item pro collectione suffragiorum omnium Episcoporum. Hac eadem notione vox illa usurpatur in canone apostolico *xx x i x*. & in canone *lvii*. Laodiceno.

VIII. Illustre hujus significationis testimonium extat in synodo Chalcedonensi Actione quarta. Unde colligitur canone Nicæno statutum ut omnes Episcopi sententiam sui Primatis expectent, & nihil arduum agant prætermittendo illius sententiam. *Ἐπιτομή* Alexandrini Episcopi definitionem interpretati sunt Judices.

IX. Jus ab Ægyptiis Alexandrino Episcopo tributum Romano asserit Petrus Chrysologus. Concilia Oecumenica nihil in Ecclesia decerni posse putant absque sententia Romani Pontificis, cum de causis universaliibus agitur. Probat etiam auctoritate Macedonij Patriarchæ CP.

X. Quinta Synodus rogat Vigilium ut ad Concilium accedat, & ceteri presideat; missa etiam amplissima & insigni legatione. Qui respondet se suam sententiam Principi porrecturum seorsum à synodo. Vigilij confirmavit definitionem synodi; qua tunc sine controversia Synodi Oecumenica nomen prætulit.

I. **S**I quis autem illud quoque requirat ut exponam quamnam esset veterum sententia de hoc jure relationis cum prerogativa suffragij ante Concilij Ephesini tempora, consulendum est Sardicensi Concilio; in quo Osius Romani Pontificis Legatus referet de rebus canone constituendis, sed ita ut primam sententiam addat. Deinde rogat patrum suffragia, qui confertim in ejus sententiam transeunt. Pulcrum sanè antiquitatis monumentum, in quo jus relationis eminet. Gaudentius quidem & Ianuarius Episcopi tres canones proposuerunt, Osius connivente. Sed hoc nihil detrahit de jure legationis; præcipuè cum ad suam auctoritatem trahat, quando lubet, quæ ab alio Episcopo proponuntur, ut accidit Olympio Episcopo, qui suggestit ultimum canonem; cui Osius decretum addidit: *Osius dixit: Suggestente fratre & coepiscopo nostro Olympio, etiam hoc placuit.* Ad hanc prerogativam referendi sunt Socrates & Sozomenus, quorum testimonia frequentissimè proferuntur; sed quæ à paucis, ut quidem puto, sincerè intellecta sunt. Eusebiani coegerant Antiochiæ Concilium Orientalium Episcoporum, quod Athanasio Georgium Cappadocem substituit. Socrates verò notat nec Iulium Episcopum Romanum nec ejus Legatos ad eam synodum accessisse; *cum canon ecclesiasticus jubeat non optere absque sententia Episcopi Romani decreta Ecclesiis sancire: Ἀλλὰ μὲν ἔδ' ἑ Ἰουλιὸς παρὼν ὁ τῆς μεγίστης Ρώμης ἐπίσκοπος, ἔδ' ἔμ' εἰς τὸν τόπον αὐτῶν ἀπεστέλλει τινὰ χεῖρ' ἑνὸν ἐκκλησιαστικῶν κελύοντ' ἢ μὴ δὲν ὡς ἐπὶ πλεὴν γινώμεν ὅτι ὑποσώψης Ρώμης τῆς ἐκκλησίας κενονέη.* In ejusdem